scientia nostri culminis et nostris pendent(is) litteris non relaxes, immo statim quod hec fieri contigerit ac fideiussores per te recipiendos a quibuscumque camere et magistris racionalibus supradictis sub tuo sigillo mittas, ut predicta omnia ad cautelam curie in registris tam camere quam sigilli et dictorum magistrorum racionalium conscribantur. [Volumus insuper et mandamus, ut, sicut per nostram curiam extitit ordinatum, si aliqua mandata nostra tibi contigerit destinari, que contineant recollectionem vel assignacionem pecunie nec non capcionem vel assignationem seu restitutionem castrorum terrarum aliarumque possessionum victualium animalium quorumlibet et etiam bonorum mobilium curie aliquibus faciendas aut quascumque alias res fiscales ac responsales etiam culminis nostri super eisdem ac super consultacionibus tuis deferendas, si clausa fuerint, ad ipsorum execucionem non procedas, nisi pendenti sigillo celsitudinis nostre fuerint sigillate, alioquin, si secus feceris, processus tui, quos[a] in execucione mandatorum ipsorum clausorum et non pendencium habueris, in tuo raciocinio nullatenus admittentur, immo volumus mandata ipsa clausa et non pendencia tibi de cetero dirigenda in penam tuam in tuo raciocinio non admitti.] Et expresse mandamus, ut ad restitucionem castrorum terrarum et possessionum quarumlibet mobilium etiam seseque moventium aliquibus faciendam non procedas, super hiis negociis nisi receperis mandatum speciale celsitudinis nostre pendens. [Mandamus etiam, quatinus quaternos de vendicionibus cabellarum faciendis per te[b] per totum sequentem mensem novembris, et sicut in antea augmentari contigerit, statim sub sigillo tuo ad cameram et magistros racionales nostros predictos transmittas, continentes cabellas omnes, omnia [et singula iura, et quibus locata [17] [18] [19]

16 a) quas Reg.

17 b) Reg. ter

[etiam